

ut patet eiusdem. i. ca. Nunquid considerasti seruum
meum Job quod non sit ei similis in terra. Et de paulo
Act. x. c. Vas electiois est mihi. Et de cen-
turione matth. viij. ca. Non inueni tantam fidem
in israel. Et petro dixit christus matth. xvi. ca.
Beatus es simon bariona. Sed de Jobane
multo plura multaque maiora locutus est. Nam
ut scribit matth. xi. ca. dixit iesus turbis de
Jobane. Quid existis in desertum videre etc.
ubi commendauit eum de quatuor. Primo de solis-
ditate fidei et constantia cum dixit. Quid existis in
desertum videre arundinem vento agitata. quasi di-
cat. non. quia Jobanes fuit ita compositus quod nec ti-
more nec fauore a veritate declinabat. Secundo
commendauit eum ab austeritate penitus subdi-
dit hominem mollibus vestitus. quasi dicat. non. Ter-
cio commendauit eum a claritate noticie dum se-
quitur prophetam. Etiam dico vobis plus quam pro-
pheta. Et dicitur plus quam propheta quia non solum christum pre-
dixit venturum et predixit sicut alij prophete sed etiam
ipsum digito ostendit. Quarto commendauit eum
ab auctoritate doctrine dicens. Hic est de quo
scriptum est. I. per Malachiam. Ecce ego mittam
angelum meum. i. Johannem qui vitam duxit angeli-
cam ante faciem meam: qui preparabit viam tuam an-
te te. Amen dico vobis: inter natos mulierum
non surrexit maior iohanne baptista. Tercia
dignitas beati Johannis dicitur celebratiois. De
solo namque iesu christo et virgine matre Johan-
neque baptista narrant preconiata natiuitates. Ita
circo ecclesia solenniter celebrat natiuitatem eo-
rum. Hinc Augustinus in sermone qui legitur in offi-
cio pentecostes solennitatis ait. Post illam sacrosan-
ctam domini natalis diem nullius hominis natiuitatem
legimus celebrari nisi solam Johannis baptiste.
In alijs enim sanctis et electis dei nouimus diem
illum colimus quod illos post summationem laborum et
deuictum triumphatumque mundum in perpetuas
eternitates penitus hec vita parturit. In alijs
consummata vltimi diei merita celebrant. In
hoc etiam prima dies et ipsa hominis initia consecra-
tur. Quarta dignitas beati Johannis dicitur
veneratiois. Voluit namque deus concurrentibus
miraculis plurimis reliquiis corporis eius a
fidelibus venerari. Legimus enim in historia eccle-
siastica. quod cum ad tumultum Johannis multa mi-
racula fierent: iubente Juliano apostata gen-
tiles ossa eius sparserunt. Et cum miracula non
cessarent: postea collecta et in igne concremata
impulerunt redegerunt et per agros ventilauerunt.
Tandem cineres illi collecti a quibusdam mona-
chis hierosolimam fuisse delati: deinde post al-
liqua tempora ianuam translati ubi nunc deuote co-
luntur. Sicut Alexander tercius et Innocen-
tius quartus: rei veritate cognita suis priui-

legijs approbarunt. Caput vero eius tempore Nar-
ciani principis inuentum est. Duobus quidem
monachis beatus Johannes caput suum in viscera
manifestauit: qui ad locum perantes ubi sepul-
tum tamdiu latuerat inueniunt. illud saccis
cilicinis inuolutum: quod postmodum Constanti-
nopolim: inde ad gallias regnante Pipino est
translatum. Ultimo ad urbem deductum et in eccle-
sia sancti Siluestri honorifice reuerentum. Di-
gitus insuper ille qui dominum ostenderat conburi non
potuit ut refert magister Johannes Beleth. qui a
fidelibus conseruatus: postmodum a sancta Ecclesia
de vltimarum partibus in normandiam dela-
tus est. Quinta dignitas beati Johannis
dicitur glorificationis. Credendum quippe est quod in se-
culo magna sit gloria eius. et quod positus sit in su-
premo ordine angelorum atque in sede luciferi col-
locatus. Nam illa sedes non fuit repata per christum
quia stat ad dexteram patris: nec per virginem quia
stat super choros angelorum: nec per alium sanctum:
quia ut predictum est. Inter natos mulierum non
surrexit maior Johanne baptista. Et sicut
magnus fuit meritis et sanctitate: ita magnus
est gloria et felicitate. Cuius patrocinium de-
uote implorantes sperare possunt illius in-
tercessione consequi in seculo dei gratiam et in
futuro gloriam sempiternam. In qua viuunt et re-
gnat deus per omnia secula seculorum. Amen.

Sermo trigessimus secundus de sancto paulo
apostolo doctore summo gentium.

Vas electionis est
mihi. domini nostri iesu christi verba sunt
ista originaliter Actuum. ix. ca. Ad
laudes ingentes beati apostoli Pauli extol-
lendas hodierna die merito est elaborandum.
Ipse namque sua eruditione mirabili: christi bene-
dicti nomen gentibus patefecit. Ipse sue conuer-
sionis exemplo peccatoribus ad penitentiam re-
dire volentibus spem de venia consequenda de-
dit. Ipse utique verbis et factis adeo clare christi
stium a mortuis resuscitatum atque in dexteram
dei patris sedentem ostendit: ut nullus ampli-
us nisi volens de fide christi dubitare queat. Ad
ipsum igitur sermonem vertamus qui prius no-
minis iesu ardentissimus persecutor: ex post
factus est illius defensor acerrimus et predi-
cator eximius: in quo post emendatum delictum
tanta superabundauit gratia ut etiam in hac
vita mortali ad visionem diuine essentie raperetur.
De ipso piissimus iesus Ananie discipu-
lo suo fidelissimo retulit verba in themas
teposita. In quibus de paulo gloriosissimo
tria mysteria proponimus contemplanda.

Primum dicitur persecutionis.

Secundum conversionis.

Tercium visionis.

Qualiter Paulus feruebat in psecutione discipulorum.

Capitulū. i.

Rimū mysterium ptemplandū de paulo dicitur psecutionis. Ipe nāq; validissime ecclesiā expugnare tentauit. Unde Paulus Actū. ix. ca. dicit. Saul? aut adhuc spirās id est et rehemēti spū ignē psecutōis accendens in se et in alios: contra ecclesiā minarū in verbis iniuriolis: et cedis. i. in verberibus et flagellis in discipulos dñi accessit ad principē sacerdotū et petijt ab eo eplās in damascum ad sinagogas vt si q̄s inuenisset huius vie viros ac mulieres vincitos illos pduce- ret in hierusalē. Sed p huius ptis pleniorē intelligētia circa septē dubitare cōingit.

Primo circa noīs mutationē.

Secundo circa supbie occasionē.

Tercio circa tps dilationē.

Quarto circa mīe cōsecutionē.

Quinto circa liberi arbitrij dispositionē.

Sexto circa discipulorū distinctionē.

Septimo circa potestatis acceptionē.

Primo dubitat circa noīs mutationē. q̄re s. nomen Pauli mutatū est cū prius saulus vocaret. Nā mutatio noīs ē phibita. **L.** de mutatis no. l. i. Sed ad hoc rīdet Jo. an. in glo. in plogo sexti libri decretalū. q̄ lex illa loquit de mutatione fraudulenta. Tū inter- dum licz mutare nomē vt p mutationē noīs ostendat facta mutatio hoīs. Sicut Jacob vocatus fuit israel ex eo q̄ vidit dñm. vt ptz Genes. xxxij. ca. Et Simon vocat est Petrus ex cōfessione diuinitatis in xpo vt scribi- bitur Matth. xvi. ca. Et in romanis pontifi- cibus mutari solet nomē. Nā Martinus quint? antea vocatus est oddo de columna. Eugenius. iij. Gabriel. Nicolans. v. Tho- mas. Calixtus. iij. Alfonsus. Pius. ij. Ane- as. Paulus. ij. petrus. Et Sixtus. iij. dice- batur Franciscus. Rō vero talis mutatōis est: q̄ nomē debet cōuenire rei. sicut ptz. xxi. di. c. clerof. et de pben. 7 digni. c. cū secundū. Et. xvi. q. i. c. si cupis. Et institu. de dona. s. est. Tū de noīe Pauli tres opiniones inue- niuntur. Prima est Origenis qui dicit. q̄ sp fuit binomius et vocatus sit semp Saulus et Paulus. Secda est Rabani q̄ ait q̄ añ cō- uersionē dicitur ē Saulus a saule supbo. post cōuersionē dictus est Paulus q̄si puulus a virtute humilitatis. Unde nomē suū inter- pretando. i. ad Corinh. xv. ca. ait. Ego sum minimus aploz. Tercia est opinio Hieroni

mi et Bede qui asserūt q̄ vocatus sit Paulus a primo spolio qd cōtulit ecclesie. s. Ser- gio paulo pconsule quē ad fidē cōuertit sicut ptz Act. xij. c. Secūdo dubitat circa su- perbie occasionē: quare vicz paulus erat ita supbus vt sponte ingereret se ad psequendū xpm: nā non vocatus accessit ad principē sa- cerdotū. Et ad hoc dicere possumus q̄ tria erāt in illo qbus disponebat ad extollendū.

Primū nobilitas generis.

Secundū claritas sciētie.

Tercū eras florens.

Primū qd erat in paulo fuit nobilitas ge- neris. Inq̄ enī Aug. in sermone. Erat aut paulus de tribu beniamin. sicut ipe testat. et ad Ro. xi. ca. ipe ait. Ego israelita sum ex se- mine abrae de tribu beniamin. Et quo dicit glo. in. c. venerabilis. de pben. et digni. q̄ sit nobilis. Tribu vero beniamin satis in scri- ptura magnificat: tum q̄ illi in diuisione ter- re pmissionis hierusalē fuit distributa: sicut ptz Josue. xvij. ca. Tū q̄ habuit bellatores strenuos sicut notat Iudicū. x. ca. tū etiā q̄ ex illa tribu fm Hiero. fuerunt p maiori- pre innocētes interfecti. Veruntū pleriq; mi- rari solent ex his q̄ audiūt dū de se Paulus loquitur. Actū nāq; ca. xx. dicit. Ego sum vir indeus tharso cilicie natus. Et q̄ ad Co- rinth. xi. ca. hebrei sunt et ego. Et Act. xxiij. ca. phariseus inq̄ sum 7 filius phariseorū. Tū cum centurio iussisset eū verberari dixit se ciuē romanū: vt habet Actū. ca. xxij. Et idem corā tribuno cōfirmat. Ad qd rīdet Nico. de lira sup. xxij. ca. Actū. et sup. liij. ca. q̄ ad Thimo. q̄ pater pauli a romanis ob- tinuerat romanā ciuitatē. Ideo cū tribun? dixisset. Ego multa summa pecunie ciuilita- tem hanc adeptus sum. Paulus rīdit. Ego aut natus sum. Iccirco Nico. de lira expo- nens illa verba Pauli ad Thimotheū. Pen- nulam quā reliqui troade apud carpū venis- ens affer tecū 7 libros ait. Dū esset paulus in carcere Hieronis scribebat thimotheo vt fer- ret sibi penulā. Erat aut penula vestis sula- ris q̄ a romanis data fuit p̄ri pauli in signū amicitie cum ipso 7 q̄ esset factus ciuis roma- nus quā seruauerat paulus ob memorias patris: et in signum q̄ esset romanus ciuis: si necessitas incumberet hoc ostendēdi. Erat ergo paul? natione israelita. dignitate roma- nus ciuis: et religione phariseus ob ista diui- na magnanimus erat et audax. Verū vt in- quit Seneca in li. de quattuor virtutibus. Magnanimitas si se supra modū extollit fa- cit virū minacē: inflatū: inquitū: et turbidū

et in quascūq; excellentias dictorū factorūq;
neglecta honestate festinū. Scdm qd erat in
paulo fuit claritas sciētie. Dicit nāq; de illo
Hieronim⁹. *Cur paulus apls vas electōis*
nempe qz vas legis et scripturarū sanctarū
armariū est. Et Actū. xxi. ca. dixit se erudi-
tum ad pedes Gamalielis. et. ij. ad Corint.
xi. ca. ait. nā z si imperitus sermone: nō tamē
sciētia. *Ut aut inqt. Sciētia inflat. Terciu*
qd erat in paulo erat florens etas. *Erat qui-*
dem adolescēs. *Uñ Actū. vij. ca. dr. Testes*
deposuerūt vestimēta secus pedes adolescen-
tis q; vocabat̃ Saulus. Et si q; obstarēt q;
potuerit ille fuisse alter qui sic noiaret: facili
cōuinci p̃t. qm̃ Actū. xxij. ca. Paulus cum
būilitate z penitētia loquēs ad dñm ait. *Uñ*
funderet sanguis stephani testis tui ego asta-
bam et cōsentiebā z custodiebā vestimēta in-
terficiētiū illū. *Cū ergo esset in etate floren-*
ti mouebat̃ ardentē ad psecutionē discipu-
lorū. *Plā vt inqt. Aristo. in. ij. rethorice. Ju-*
uēnes sunt cōcupiscitūi talia facere quecū-
q; cōcupiscūt. Ideo valde amant valde desi-
derant: et filia. Et vt vulgariter dicit in iuue-
nibus est recens et buliens sanguis. Tercio
dubitāt de paulo circa t̃pis dilationē. cur. s.
tādū distulit x̃ps vocare illū z nō cum alijs
apls. Ad qd rñdere possumus q; sic factus
est ppter tria.

Primo ppter x̃pi potentiā.

Secundo ppter x̃pi sapientiā.

Tercio ppter x̃pi clementiā.

Primo ppter x̃pi potentiā vt sic ostenderet
q; post mortē x̃ps qui surrexit a mortuis po-
tuit inimicos etiā benigne superare. **S**ecundo
ppter sapientiā: vt sic innotesceret multifo-
mis sapia dei: qui varios h̃z vocandi et sal-
uandi modos. **T**ercio ppter clementiā q; vo-
luit vt oīs fraudis suspitio tollerēt cōuer-
dis gentibus: dñ talis magister est electus q;
nō solū nō fuisset de socijs x̃pi hic viuētis:
immo fuisset acerbissim⁹ psecutor oīm q; in-
uocabāt nomē eius. Et nullo cōmodo vel in
cōmodo tpali timore vel fauore humano fu-
it ad fidē cōuersus et illius noīs qd antea ex-
tinguere nitebat̃ defensor fuit validissimus.
Quarto dubitat̃ de paulo circa misericor-
diē cōsecutionē: quare cōsecut⁹ est mīam dei
adeo vt in actu furibunde psecutōis x̃pm vi-
derit z audierit vocantē. Et licz Aug⁹ dicat
Si quis quare hūc trahat: illū nō trahat: nō
li diiudicare si non vis errare: nihilomin⁹ re-
ctissime pietas diuina egit cū paulo dum il-
lum ad se tā mirabiliter traxit ppter tria.

Primo ppter zelum.

Secundo ppter meritum.

Tercio ppter exemplum.

Primo ppter zelum quo mouebatur paulus
ignorās in tali psecutione q; grauiter offen-
debat: putabat nāq; sacrificiū se offerre deo
si x̃pi nomē deleteret. **H**oc ipse confirmat. i. ad
Thimo. i. ca. vbi ait. Gratias ago ei q; me cō-
fortauit i x̃po iesu dño nro: qz fidelē me existi-
mauit: ponēs in ministerio q; prius fui blas-
phemus z psecutor. **S**ed mīaz cōsecut⁹ sum
qz ignorās feci in incredulitate. Et ad Gala-
thas. i. ca. inqt. Audistis enī puerlationem
meā in iudaismo qm̃ supra modū psequabar
ecclesiā dei z expugnabā illā: et pficiebā in
iudaismo supra multos coetaneos meos in
genere meo. abundant⁹ emulatoz existens
paternarū meaz traditionū. *Ut inqt. Plico.*
de tira sup hoc passu. *Apud iudeos erat ali-*
qua tradita patrib⁹ a moyse. s. q; scripta sunt
in lege. Et aliqua erant tradita a patrib⁹ alij
minorib⁹ q; vocabant̃ traditōnes senioz. vt
p̃t̃z Matth. v. ca. et ambarū traditōnū erat
apls zelatissim⁹ ante suā cōuersionē. **S**ecundo
misericorditer actū fuit cū paulo ppter meri-
tum. nā fm̃ Aug⁹. in sermone. dñ stepha-
nus lapidaret̃ in orōne quā fecit p bis q; ad
eius necem insistebāt singulariter orauit p
paulo quē pspiciebat p̃tra se plus ceteris cor-
de et aio descuire: nō enī poterat manu illum
lapidib⁹ duris ferire. qz nō spectabat nisi tes-
tibus aliquē lapidare: m̃ paulus illorū reu-
nens vestimēta aiabat eos vt viriliter egre-
guerēt innocentē. **T**ercio remissionē z grām
inuenit paulus ppter exemplū: vt sic in ipso
tanq; in speculo clare peccatores inuenerūt
magnitudinē miē dei. **D**e hoc. i. ad Thi. i. c.
ita scripsit. Fidelis sermo et omni acceptione
dignus qz iesus x̃ps venit in hunc mundū
saluos facere peccatores quorū primus ego
sum. **S**ed ideo misericordiā cōsecutus sum
vt in me primo ostēderet x̃ps iesus omne pa-
tientiā ad informationē eoz q; credituri sunt
illi in vitā eternā. **Q**uinto dubitat̃ circa li-
beri arbitrii dispositionē: an vicz fuit liberū
arbitriū eius violentatū. **A**d qd intelligē-
dum notanda est illa sentētia dñi Bonauē.
in. ij. di. xxv. de qua plene dixi in quadrage-
simali de penitētia: sermone pmo. q; aliud ē
voluntatez induci: aliud voluntatē mutari:
aliud voluntatē cogi. **T**unc enī induci dicit̃
qm̃ aliq; psuasio ei sit qua disponit vt ad ali-
quod appetibile inclinēt: q; si valde intēsa est
nomē coactōis fortis: quis nō sit p̃a coactio
Tunc aut̃ volūtas mutat̃ qm̃ ipa nolēte vim
potētī virtute affectio ei immittit̃ in p̃uarū

et de nolente fit volens: ita q̄ vna affectio ex-
pellit ⁊ ōria inducit. Sicut cū de amatozē
spaliū facit spaliū ⁊ temptozē. Tūc autē volū-
tas dī cogi qñ itelligit ipaz inuitā aliqd vel
le et repugnāte actu volūtatīs deliberatiuo:
aliena virtute mouēte ⁊ repugnātia manente
ad aliqd inclinari nolēdo. Volūtas igit̄ co-
gi nō p̄ ab aliquo: sed induci ab agēte creato
et mutari valet ab agente increato. Quare et
liberū arbitriū pauli nō fuit coactū: sed bene
immutatum: et de nolēte factum est volens.

Sexto dubitat̄ circa discipuloz distictō-
nē. Nā dī q̄ paulus psequēbat̄ discipulos
Et hoc querūt aliqui: q̄ erāt isti discipuli Et
dicit̄ Nico. de lira q̄ erant oēs credentes in
xpm. Nā discipuli aliqñ dicunt̄ duodecim
ap̄li: sicut ibi matth. xix. ca. Assumpsit iesus
duodecim discipulos suos ⁊c. Aliquādo se-
ptuaginta duo. sicut Luce vlti. Duo ex disci-
pulis ibant ipa die ⁊c. Aliqñ oēs fideles: nā
vt Eusebi⁹ tradit in historia ecclesiastica. et
habet̄ insup Act. xi. ca. Anteq̄ ecclesia ⁊ gre-
garet̄ Antiochie: omnes credētes disci-
puli nominabant̄. At vbi credentiūz nume-
rus ibi multiplicat⁹ fuit: xpiani noiari cepe-
runt. **S**eptimo dubitat̄ circa potestatz ac-
ceptionē. Quō cū iudei nullā haberēt pote-
statē paulus potuit a p̄ncipe sacerdotū illaz
impetrare. Ad qd̄ rñdet̄ Nico. de lira. q̄ iu-
dei habebāt potestātē subdelegatā a romanis
p̄ criminib⁹ in legē eoz cōmissis. Nā Ste-
phanū mox iudiciario lapidasse dicunt̄: qñ
testes depositis vestib⁹ lapidabāt eum. Et in
hoc seruabāt ordinē iudicij in lege statutum
q̄. i. testes essent primi lapidatores. Dū itaq̄
paulus videbat̄ q̄ fiebat̄ p̄ ap̄los timēs anti-
quam legē in qua nutritus erat euacuari: ira
succensus lras impetravit: aduocauitq̄ fa-
mulos et socios negocij sui. Eamus inq̄t fra-
tres camus cōcitu gessu in damascū: inueni-
emus ibi illos destructores nostraz traditio-
nū: ligabim⁹ eos affligemusq̄ verberib⁹ ⁊ ie-
iunij atq̄ in hierusalē pducemus. **O** paulē
qd̄ cogitas. **O** paulē qd̄ loqueris. **O** paulē
cur tanto indiscreto seruire moueris? Tu
cape: pponis et eris captus. Tu p̄tra discipu-
los paras manū. Et deus manu tua tetra-
bet ad gremiū discipuloz. Et nomē xpi cō-
fundere satagis: et nescis adhuc q̄ in breui p̄-
noie illo paratissimus eris ligari et mori: nō
est p̄siliū cōtra dñm.

De cōuersione pauli et septē mirabilib⁹ q̄
cōcurrerūt in illa.

Acapitulū. ij. **S**ecundū mysterium ⁊ templandum de
paulo dī cōuersionis. Fuit q̄ppe cōuer-

sio eius miranda et singularis maxime p̄pter
septem que ibi cōcurrerunt.

Primum fuit illustratio.

Secundum p̄stratio.

Tercium allocutio.

Quartum excecatio.

Quintum visitatio.

Sextum illuminatio.

Septimum cōfortatio.

Primū qd̄ cōcurrit in p̄uersione pauli dī
illustratio. Dicit̄ enī Act. ix. ca. Cū iter face-
ret cōtigat̄ vt appropinquaret damasco. Re-
migi⁹ inq̄t. Damascus est ciuitas metropo-
lis syrie quā edificauit Damasc⁹ Eliezer ser-
uus Abzæ. Sequit̄ textus. Et subito cir-
cumfulsit eum lux de celo. De ista luce posset
qd̄ asserere q̄ fuerit irrumpētis aurore vel so-
lis orientis et h̄mōi. Sed p̄fecto ip̄e paul⁹
cuius fuit p̄ditionis et q̄ tpe visa sit apertissi-
me declarauit Actū. xvi. ca. Loquēs nāq̄
cū Agrippa dixit. dū irem damascū cum po-
testate et p̄misso p̄ncipum et sacerdotū die
media in via vidi o rex supra splendore solis
circūmfusile me lumē et eos q̄ mecum erant
Actū vero ca. xxi. dixit q̄ lux illa fuit co-
piosa. **S**ecūm qd̄ concurrit in cōuersione
pauli dī p̄stratio. Cecidit enī in terrā vt p̄z
Act. ix. ca. et ca. xvi. Paulus retulit. Dēsq̄
nos cū cecidissē in terrā quare videt̄ q̄ et
socij ei⁹ fuerunt p̄strati versus faciē s̄m glo.

Tercū qd̄ in tali cōuersione cōcurrit dī
allocutio: nā audiuit vocē loquentē ideoma
hebreū vt scribit̄ Actū. xvi. ca. et dicentē.
Saulē saule cur me psequeris. Nec vox fu-
it primo rep̄hensiuā eo q̄ saulus psequēbat̄
xpm in mēbris suis. **S**ecū fuit instructiua.
Querenti enī qd̄ es dñe: rñdit xps. Ego sum
iesus nazaren⁹ quē tu psequeris. Ubi nota
q̄ ex luce summa et ex alto situ celi in qua
et in q̄ sibi apparebat et exinde saul⁹ ⁊ eius so-
cios terribiliter p̄sternente: apte se ingerebat
ei maiestatiū et oipotentē. Ideo suā humi-
lem originē s̄m quā fuit nazarenus. i. in na-
zareth cōceptus et nutritus ei in sua reuelā-
tione specialiter exprimit: vt ostendat q̄ ille
idē q̄ fuit inter iudeos humilis est ad celos
in tāta gloria tanq̄ dei fili⁹ exaltatus. Pro-
pterea xps subdidit. durū est tibi p̄tra stimu-
lum calcitrare. i. potētiori te incōparabiliter
resistere. **T**ercio vox illa ⁊ allocutio fuit p̄ce-
ptiua. Tremens q̄ppe paulus ac stupēs de co-
gnita xpi potestate ac maiestate: totus p̄pun-
ctus dixit. Dñe quid me vis facere? quasi di-
cat̄ nunc paratus sum tibi in oib⁹ obe-
dire. **A**ui xps. Surge et ingredere ciuitatē

et dicitur tibi quid te oporteat facere. **S**ocij autē stabant stupefacti: audiētes quidē vocē neminē autē videntes. **H**ic aliquātiſper im- morandū est: qm̄ **A**ctuū. xxij. ca. paulus dī- pit. **E**t qui mecū erant lumen quidē viderūt: vocē tñ non audierūt eius q̄ loquebat̄ mecū: videt̄ q̄ hic sit aliqua p̄tradictio q̄ prius di- citur q̄ audierunt vocē: postea paulus affir- mabat p̄trariū asserēs q̄ vocē nō audierunt. **A**d hoc ita loquit̄ **B**eda sup̄ actus ap̄loz. q̄ cōsiliū vocis sonū: nō autē articulātā ei⁹ distinctionē audierunt. **E**t cōsimiliter viderunt lucē a x̄po irradiantē: nō autē sui corpis formā et faciē. **P**aulus vero et vidit x̄pm̄ et distincta verba eius audiuit. **Q**uartū qd̄ cōcurrit in illa p̄uersione dī corpis excecatio **S**urrexit autē saulus de terra ap̄tisq̄ oculis nihil videbat. **A**d manus itaq̄ socij trahentes illū introduxerunt damascū. **E**t erat ibi tribus diebus nō videns et nō manducauit neq̄ bibit. **I**n hoc triduo ait **B**eda paulum orationi vacasse: fuisseq̄ raptū vsq̄ ad terciū celum. **I**dem refert **N**ico. de lira sup̄ ij. eplā ad **C**orinth. ca. xi. **S**unt autē **B**ede venerabilis verba h̄mōi: apparet q̄ per tridū quo creatus lucis gratiā expectabat nō oc̄is torpebat: sed diuina potius illustratōe sublimatus archana celestia rimabat̄. **E**stq̄ nisi fallor credibile: q̄ eo tpe mysterium euangelice dispensationis edoctus fuerit de quo ip̄e gloriatur ad **B**alathas dicēs. **N**eq̄ enī ego ab hoīe accepi illud neq̄ didici: sed p̄ reuelationem iesu x̄pi. bec ille. **Q**uintū qd̄ cōcurrit in cōuersione pauli fuit eius visitatio. **N**am instruxit x̄ps **A**naniā vt paulū visitaret. scribitur enī **A**ctuū. ix. ca. sic. **E**rat autē quidā discipulus damasci noīe **A**naniās hic vt habetur **A**ct. xxij. ca. erat de iudeis ad x̄pm̄ cōuersus sciētia et vita famosus. **E**t dixit ad illū in visu dominus. **A**nania. **A**t ille ait. **E**cce ego dñe. **E**t dñs ad eū. **S**urge vade in vicū qui vocat̄ rectus: et quere in domo iude saulum noīe tharsensem. **E**cce enī orat et vidit id est sibi reuelatū est: virū ananiā noīe: nam reuelatio fuit facta paulo nō solū de p̄sona s̄ de p̄prio noīe: introeuntē et imponentem sibi manū vt visum recipiat. **T**imens ananiās rñdit: dñe audiui a multis de viro hoc q̄sta mala sanctis tuis fecerit in hierusalē et quare huc se cōtulit? **T**ui deus. **V**ade anania qm̄ vas electōis est mibi: vt portet nomē meū corā gentib⁹ et regib⁹. **E**go autē ostendā illi quāta oporteat eū pati p̄ noīe meo. **E**t abiit ananiās et introiuit in domū et imponent ei manū dixit. **S**aul frater dñs iesus ad te

memisit qui apparuit tibi in via qua venies bas vt videas et implearis spiritu sancto. **S**extū qd̄ cōcurrit in cōuersione pauli fuit illuminatio. **C**ōfestim naq̄ ceciderūt tāq̄ squame ab oculis eius et visum recepit: et surgens baptizatus est. **S**eptimū qd̄ cōcurrit in illa p̄uersione fuit cōfortatio. **C**ū accepisset cibū cōfortatus est duplici cōfortatione. s. corpis et spūs. **Q**d̄ ptz: q̄ p̄tinuo in gressus in sinagogas p̄dicabat iesum et iudeos viriliter p̄fundeat. **H**ec oīa facta sunt eodē anno quo x̄ps passus est et stephanus lapidatus. **M**ā x̄ps octauo kalendas aprilis passus est. **S**tephanus eodē anno tercio die augusti lapidatus est. **P**aulus vero octauo kalendas februarij conuersus est. **E**t vt refert **N**ico. de lira. nō statim post baptisimū suū inuit de damasco in hierusalem: sicut ip̄e dicit ad **B**alath. i. ca. **S**ed prius abiit in arabias: qua lustrata p̄dicando reuersus est damascū. **E**t in ista reuersione voluerūt eū iudei capere: et per murū euasit submissus in sporta: de inde iam tribus annis a sua cōuersione decursis ascendit in hierusalē videre petrum et mansit apud eū diebus tribus. **U**bi sunt o paulē dure cōminationes tue? vbi cōtumeliosa verba quibus discipulos afficiebas? **U**bi cathene quas deferebas vt victos illos in hierusalē p̄duceres? **M**utatus es in alterū virū. **H**ec vtq̄ est mutatio dextre ex- celsi. **F**actus es euāgelica tuba: x̄pi prece et inuictissim⁹ miles religionis x̄piane. **N**ō ti- mes labores. nō horres picula: nō vitas pla- gas: nō fugis mortē. **T**u p̄ x̄po vt. ij. ad **C**orinth. ca. xi. ptz: fuisti in laborib⁹ plurimis. **T**u in carceribus abundanti⁹. **T**u in pla- gis supra modū. **Q**uāta cōstantia: quātaue fuit eius aie fortitudo. **A** iudeis quinquies quadragenas vna minus accepit. **R**efert **N**ico. de lira sup̄ hoc passū qd̄ **D**eutro. xxv. ca. cōmittit̄ iudicibus vt p̄ minorib⁹ culpis p̄ quibus mors nō est inferenda imponāt pla- gas et verbera: ita tñ q̄ quadregenariū nume- rum ictū nō excedant. **S**apiētes vero iudeo- rum ad p̄tendendū pietatē ordinauerunt: q̄ de illo numero aliqd̄ minueret plus vel mi- nus putrōnabiliter videret̄ rōne delicti vel cōditionis verberandi: et sic de alijs circum- stantijs. **Q**uia vero paulus erat eis odiosus subtraxerūt de dicto numero quinquies vñ ictū p̄ vice qualibet. **T**er virgis cesus fuit. si- cut ptz **A**ctuū. xvi. ca. **S**emel lapidatus fuit in ciuitate lichaonia: vt ponit̄ **A**ct. xij. c. **T**er naufragium fecit. **E**t ne singula repere- mus p̄ x̄po in vrbe maxia capitis truncatōe

gloriosum martyriū cōsummauit.

De raptu pauli in q̄ uidit essentiā dei: et de
cōditionibz illi⁹ raptus. **Capitulū. iij.**

Terciu⁹ mysteriū cōtemplandū de paulo
dī visionis. Voluit quidē benign⁹ de⁹
us ex privilegio speciali cōcedere paulo ut in
suo raptu diuinā essentiā videret: de q̄ ipse ita
scribit. ij. ad Corinth. ca. xij. Scio hoīem in
xpo ante annos quattuordecim siue i corpe
siue extra corp⁹ nescio deus scit raptū hmoi
vsqz ad terciū celū. Et scio hmoi hoīem siue
in corpe siue extra corpus nescio de⁹ scit qm̄
raptus est in paradysum et audiuit archana
dei q̄ nō licz hoī loqui. Pro quoz verboruz
declaratōe notāde sunt septē theologicē veri-
tates. Prima veritas s̄m Nicol. de lira sup
isto passu. Raptus p̄rie importat quandā
violentiā alicui⁹ rei p̄tra motū naturalē sibi
qđ pōt esse dupliciter. Uno mō q̄stum ad
terminū motus ut si lapis moueat sursum.
Alio mō q̄stū ad modū motus ut si lapis p
impulsū violentū ferat deorsum velocius
q̄ natus est moueri. Sic aīa hoīs dī rapti in
id qđ est p̄ter naturā. Uno mō q̄stum ad ter-
minū raptus puta qm̄ rapti ad penas. Alio
mō q̄stū ad modū hoī cōnaturalē. Et sic licz
aīa nata sit moueri deū: tñ modus cōnatu-
ralis s̄m statū vite p̄ntis est q̄ in cognitionē
diuinā ascēdat p cognitionē sensibiliū ut sic
vtes sensibz. iō qm̄ ducit in cognitōz diuino-
rū a sensibz abstracta dī rapti: in q̄stum hoc fit
p̄ter modū sibi p̄naturalē. Post resurrectio-
nē vero qm̄ erit in corpe glorioso op⁹ intel-
lectus nullo mō impediēt raptus nō habebit
ibi locū. **S**ecūda veritas q̄ paul⁹ in raptu
vidit essentiā diuinā: sic determinat Aug⁹.
ad paulā de vidēdo deū: et in. xij. sup Gene-
sim ad lram. qđz verba apli designāt: dicit enī
se audiuisse ineffabilia verba q̄ nō licz hoī lo-
qui: hmoi aut vident ea q̄ p̄tinet ad visionē
beatorū q̄ excedit statū vic: s̄m illud 1. cor. xij.
Oculus nō vidit de⁹ absqz te q̄ p̄parasti dili-
gentibz te. Quare spernēdi sunt illi q̄ dixerūt
paulū nō vidisse ipam dei essentiā: sed quan-
dā refulgentiā claritatis ipius. **T**ercia ve-
ritas s̄m tho. 1. 2. q. d. xxv. q̄ diuina essen-
tia videri ab intellectu creato nō p̄t nisi p lu-
men glorie: qđ tñ duplī p̄cipari pōt. Uno
mō p modū forme immanētis et sic beatos fa-
cit sanctos in patria. Alio mō p modū cuius-
dam passionis transēntis: et hoc mō lumē fu-
it in paulo qm̄ fuit raptus. Et iō ex tali visio-
ne nō fuit simpliciter beat⁹ ut fieret redundā-
tia ad corpus sed solū s̄m qđ. Et sic nō fuit
beatus habitualiter s̄z solū habuit actū bea-

torū. **Q**uarta veritas q̄ noīe terciū celi p̄t
intelligi aliqd corporeū: et sic terciū celū est
empireū qđ dicit terciū respectu celi aerei et
celi sideri: vel respectu celi sideri: et respectu
celi aquei siue cristallini. Et dī rapt⁹ ad ter-
ciū celū: nō qz raptus sit ad videndū similitu-
dinē alicui⁹ rei corporee: sed p̄ hoc q̄ locus
ille est cōtemplationis beatorū. Ibi q̄ dicit se
raptū qz de⁹ ostēdit ei vitā in qua videndus
est in eternū. Et qz visio dei nō p̄t esse sine de-
lectatōe: p̄terea nō solū se dicit raptū ad ter-
ciū celū rōne cōtemplatōis sed etiā in paradi-
sum recte delectatōis cōsequentis. **Q**uin-
ta veritas q̄ paulus in raptu fuit a sensibus
alienatus. Nā ut inq̄r Aug⁹. xij. sup Gene-
sim ad lram. Nisi ab hac vita q̄sqz quodam-
mō moriat⁹ siue oīno exiēs de corpe siue auer-
sus et alienatus a sensibz in illā non subue-
hitur visionē. Rō est s̄m tho. qz oportet cum
intellectus hoīs eleuat⁹ ad altissimā dei essen-
tiā visionē: ut tota mētis intētio illuc aduocē-
tur ita. s. q̄ nihil intelligat aliud ex fantasma-
tibz: s̄z totaliter ferat⁹ in deū. Nō enī p aliqd
fantasma pōt dei essentiā videri quinimmo
nec p aliquā speciē intelligibilē creatā: qz es-
sentiā dei in infinitū excedit nō solū oīa cor-
pora quoz sunt fantasmata: sed etiā oēm in-
telligibilē creaturā: iō impossibile est q̄ hō in
statu vie videat deū p essentiā sine abstractio-
ne a sensibz. Notandū tñ q̄ aīa xpi i statu vie
videbat diuinā essentiā absqz abstractiōe a
sensibz. nā intellectus illi⁹ aīe erat glorificat⁹
p habituale lumen glorie q̄ diuinā essentiā
videbat multo ampli⁹ q̄ aliqz angel⁹ vel ho-
mo. Erat aut viator et dispensatiue patiebat⁹
nō p̄pter aliquē defectū ex pte intellect⁹. Ideo
nō est falsis rō de eo et alijs viatoribz. **S**ex-
ta veritas q̄ paul⁹ postq̄ cessauit videre de-
um p essentiā memor fuit illorū que in illa vi-
sione cognouerat p aliqz species intelligibi-
les habitualiter ex hoc in eius intellectu reli-
ctas: sicut etiā abeunte sensibili remanēt aliq
impressionē in aīa quas postea cōuertens
ad fantasmata memorat⁹. Nā nec totā illam
cognitionē aut cogitare poterat aut verbis
exprimere. hec tho. 1. 2. q. d. xvi. s. arti. iij. in
rōsione ad terciū argu. **S**eptima veritas
q̄ licz aīa pauli fuerit a fantasmatibz et sensi-
biliū pceptione abstracta: nō tñ fuit ita a cor-
pore sepata ut ei nō vniret⁹ q̄si forma licet de
hoc dubitari possit p̄pter ipius apli verba q̄
ait. siue in corpe siue extra corpus nescio de⁹
scit. Hoc aut ut Hiero ait in plogo sup Da-
nielē. quidā intelligere voluerit q̄ apls igno-
rabat an corpus eius fuerit raptū simul cum
p iij

anima vel nō. **Sed Aug^o.** xij. sup. **Beneficium**
ad litterā dicit. q. apls sciuit se fuisse raptum
fm aīam et nō fm corpus: nesciuit tñ quali-
ter aīa se haberet ad corpus. **Uñ** post longā
inquisitionē **Aug^o.** pcludit dices. **Restat** for-
tasse vt hoc ipm cū ignorasse intelligamus.
vtrū qñ in terciū celū raptus est in corpe fue-
rit aīa: quō est aīa in corpe cū corpus viuere
dō: siue vigilantis siue dormientis: siue in ex-
tasi a sensibz corpis alienati: an oīno de cor-
pore erit vt corpus mortuū iaceret. **Sed**
vt idē **Aug^o.** postmodū refert dubitāte aplo
qñ vestrū inde certus ē potuit. vñ q sup hoc
loquit magis cōiecturaliter q p certitudinē
loquit. **Et** his apparet q rēphensibiles inue-
niunt bi q bonoz tpalium falsa venenosaqz
dulcedine decepti: alienā vitā felicitatēqz p-
missam: aut negāt aut acquirere nolūt. **O** q
magna multitudo dulcedinis tue deus. **O**
iocunda facies tua et decora nimis. **O** beati
qui habitāt in domo tua. **O** stēdisti te paulo
doctori gentiū: sicut moisi pmo doctori iu-
deoz. **V**oluisti vt ille a te electus nō solū au-
dita sed visa referret. **Et** vñ in ea tantus fer-
uor tanta cōstantia: tāta sollicitudo: tāta dili-
gentia: tāta deniqz patiētia: nisi qz te viderat
in via cui te exhibuisti fm būanitatē lz immē-
sa luce rutilantē. **Et** tandē ad terciū celū ra-
pro demonstrare dignat^o es diuinitatē tuā. cla-
mat paul^o. **A**upio dissolui et esse cū xpō. **Et**
mibi viuere xp̄s est et mori lucrū ad philip.
i. ca. **C**ur o paulē nisi qz illa est vera vita illa
quieta: illa trāquilla: illa pacifica: illa delitio
sa: illa ppetua: illa deniqz oībz bonis repleta q
sequit post mortē p xpō: ad quā puenire nō
pnt nisi qui moriunt cū xpō. **H**anc paulus
pdicauit: hanc desiderauit: hanc tandē glorio-
se adeptus est. **A**d quā nos pducatur iesus fili^o
dei q uiuit et regnat in secula seculoz. **A**mē.

Sermo trigessimusterc^o de primatu scī
petri apli et de illius eximij virtutibz atqz de
ipius petri et pauli martyrio.

Uerba **Petrus.** sunt re-
demptoris nri originalit^o mat. xvi.
ca. et in euāgelio pntis solēnitatis
Rutilantia fidei xpiane miracula satis i vr-
be maxima claruerūt. **I**nter q illud vñ pad
mirandū fuit puerfio vicz gēnū romanorūqz
ciuiū facta p aploz petri et pauli p̄dicationē.
Erant ibi tot supstitiones noxie: tot ad ido-
la vana et ad demones sacrificia: tot extructa
artificio mirabili templa falsoz deozum et
alia bimōi. q oīa petro et paulo p̄dicantibus

defecerūt. **I**bi nunc colit crucifixus deus et
homo verus q sedet ad dexterā patris. **I**bi
sacra templa dei veri et virginis matris: aplo-
rum: martyrū: virginū: et cōfessorz a cunctis
fidelibus frequentant. **I**bi sedes petri a cun-
ctis fidelibz regibz et principibus deuotionē
p̄cipua honorat. **O**b qd **Leo** papa in sermo-
ne festiuitatis hodiernae ita eleganter romaz
alloquitur. **O**mnū quidē sanctarū solenni-
tatum charissimū totus mundus est p̄iceps
et vnus fidei pietas erigit vt quicqd p salu-
te vniuersozū gestum esse recolit: cōmunibus
vbiz gaudijs celebratur. **V**eruntamē hodi-
erna festiuitas preter illā reuerentiā quā to-
to terrarū orbe pmeruit speciali et p̄p̄ia no-
stre vrbis exultatōe veneranda est vtrū pre-
cipuorū apostolorū glorificatus est exitus:
ibi in die martyrij eoz sit leticie principatus
Isti sunt enī viri p quos tibi euāgelij xp̄i
roma resplenduit: et que prius eras magistra
erroris: facta es discipula veritatis. **I**sti sunt
sancti p̄s tui veri qz pastores: qui tereg-
nis celestibz inserendā multo melius multoqz fe-
licius cōdiderunt q illi quoz studio prima-
mentiū tuoz fundamenta locata sunt: qui-
bus is tibi nomen dedit qui te fraterna cede
fedauit. **I**sti sunt qui te ad hanc gloriam p-
uenerūt: vbi sis ciuitas sacerdotalis et sancta:
et p sanctā beati petri sedē caput totius orbis
effecta latius p̄siciens religione diuina qz do-
minatione terrena. **Q**uāuis enī ius imperij
tui terra mariqz distenderis: minus tñ est qd
tibi bellicus labor subdidit qz qz pax xpiana
subiecit. **h**ec **Leo**. **U**t aut tantoz benefici-
veritatē plenius agnoscamus de ipō aploz
principe petro pncipaliter: et demū de ipō et
paulo in hoc sermone verba faciem^o. **D**icere
quidē possum^o cū xpō verba pposita. **T**u es
petrus. i. inter aplos cōfessor fidei singularis-
simus qui et vtrūqz et toti mūdo lumen euā-
gelicū ptulisti: vbi de ipō sanctissimo petro
trīa mysteria pponimus cōtemplanda.

Primū dicit p̄minentie.

Secundū refulgentie.

Tercium patientie.

O beatus^o petrus pnceps aploz fuit
dignissimū caput ecclesie. **C**apitulū. i.

Primū mysteriū cōtemplandū de beato
petro dō p̄minentie. **I**n quo cōsiderē-
mus dignitatē eius ex eo q fuit princeps et
caput apostolorum: quod p̄bare possumus
tripliciter.

Primo rōne testificationis.

Secdo rōne ordinationis.

Tercio rōne exercitationis.